W antikwarskim katalogu
Fischhabera w Stuttgardzie
wydanie to wymienione
między editiones rarae
Hea

IVSTI LIPSI
DE BIBLIOTHECIS
SYNTAGMA.

Editio tertia, & ab vltimâ Auctoris manu.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Balthaſarem Moretum, & Viduam
Ioannis Moreti, & Io. Meurſium.
cIↃ. IↃC. XIX.

Cum Priuilegiis Cæſareo & duorum Regum & Principum Belgarum.

ILL^{MO} ET EXCELL^{MO}
PRINCIPI
CAROLO
DVCI CROIIO ET ARSCHOTANO, PRINCIPI S. IMPERII, EQVITI AVREI VELLERIS.

Hoc De Bibliothecis quod ſcripſi, Illvstrissime Princeps, ipſum ire ad te ambiebat, vix me mittente. Quis neſcit te eximium inter Belgij proceres eſſe, qui harum rerum elegantiâ & ſtudio capiatur? Itaque cùm alia artium veterum inſtruis & adornas, tum *Nummos* & *Bibliothecas* maximè: de quibus iſtis Commentarium hunc concepi & digeſſi, non vo-

ce ſed facto tuo incitatus. qui vidi quàm magnorum illorum Regum ſiue Heroum exempla, in conquirendis aut propagandis talibus, æmuleris & aſſequare. Aſſequare, inquam: quid mirum? omnia magna & ampla in te, aut iuxta te: quem Deus, Natura, Fortuna

Omnibus ornatum voluêre excellere rebus.

Stirpem tuam video? à regibus eſt. Opes? pænè regiæ. Animum? planè regius: & quid niſi altum ac magnificum illo concipis, factis promis? Ad longinqua non eo: vna HEVRIA tua, huic vrbi in ore atque oculis, fidem facit, quàm nihil niſi ſtirpe, opibus, animo iſto dignum cogites ac patres. Quæ tua ibi opera? ingenio cum ingenio loci pugnas ac ſuperas, ardua in plana, hæc in ardua deducis: ſed omnia ad normam & decorem dirigis: alter, vt verbo dicam,

cam, BELGICVS LVCVLLVS. Non indignare, ILLVSTRISSIME PRINCEPS, cum illo componi : verâ æſtimatione, inter raros magnóſque fuit: bellis victoriiſque in florente ætate celebris: & mox inclinante, ad quietem & ad ſe inclinauit, id eſt animum & ſtudia coluit, atque opes in præſentium ac poſterorum delectationem ſiue vſum impendit. Ab illo Bibliothecarum Romæ præcipuum exemplum; ab illo eruditi in ſermone, menſâ, domo habiti; ab illo denique Prætoria & amœnitates ſtructæ, quæ & Principes rei Romanæ poſteà frui vtíque æſtimarunt. Tu, inquam, noſter PRINCEPS imitaris. Nam in caligine hac rerum temporúmque, patriæ & Regi operâ laudabiliter nauatâ, copiis triumphíſque ductis; vergente iam æuo, portum hunc quietis & te reſpicis, & ab

 exter-

externis ad interna, id eſt verè bona, reducis. Inter varios autem ſeceſſus, HEVRIAM, Academiæ noſtræ hoc ſuburbanum, eligis: & eam magnificis, vt dixi, operibus, quid niſi in artium ingeniorúmque præcipuè vſum, adornas? Audeo dicere. tua illa ædificia, ambulacra, horti, fontes, arboreta, nobis ſtructa aut ſata: & non ſolùm qui nunc ſunt, fruuntur, id eſt tranſeunt, adeunt, ineunt: ſed & qui venturi, facient: venturi autem, vel huius oblectationis deinceps, non Louanij ſolius, cauſsâ. Omitto alia & interiora, quæ augendo vel ornando huic Athenæo cogitas: magnifica & te Principe digna, ſed in tempore magis promenda. O igitur curæ & quietis felicem! perſeuera. & iſtâ te, illâ nos paſce, cum æterno bono tuo ſimul & famâ. Nos certè, qui publicè loqui-

quimur aut ſcribimus, id eſt famæ quidam præcones, cælo tuum nomen feremus: ipſum te Deus inferet, iuſtus arbiter & munerator meritorum. Voueo ILLVSTRISSIME PRINCEPS

æternùm tuus

I. LIPSIVS.

Louanij, XII. Kal.Iul. ∞.IϽCII.

AD LECTOREM.

BREVE *hoc* De Bibliothecis, *id est libris, habes: quid nobis dignius, qui libros aßiduè tractamus? Etsi reuerà* * οὐδ' ὄναρ *hoc cogitaram, nisi me Principis viri, cui dicatum iuimus, in hac re studium excitasset. Atque hos tales in bonis altisq́ consiliis confirmare aut & inflammare, optimo publico censeo equidem fieri. Quàm pauci magnatum se eò dant? quàm ad pristinas sordes & tenebras omnia videntur ire? Quàm etiam, spretis antiquis & veris, noua quædam hodie procudunt doctrinarum! quibus illud iure dixeris:*

** nec per somnium.*

* Ὁδοῦ παρούσης τὴν ἀτραπὸν ζητέεις.

**Promptâ viâ & patente, quæris semitã.*

Viderint. nos prisca adhæremus: & utiliter sæpè (ita confido) eruimus, digerimus, illustramus. Faue tu, bonæ mentis lector.

IVSTI

IVSTI LIPSI DE BIBLIOTHECIS SYNTAGMA.

Capvt I.

Bibliotheca, & Libraria, quid? Reges veteres habuiſſe, atque illos Ægypti.

BIBLIOTHECA tria ſignificat, *Locum, Armarium, Libros*. Græca vox Latinis in vſum etiam venit, & quamquam *Librariam* dicunt, tamen magis eſt eâ voce tabernam capi, in quâ venales libri exſtant. Sed Bibliothecarum res vetus, &, niſi fallor, cum ipſis litteris adinuenta. Nam ſimul ac ſcire & ſapere natum eſt, mox etiam ſcribere: & iſtud eſſe cum fructu non potuit, niſi vt libri adſeruarentur & diſponerentur, & ad præſentiũ & poſterorum vſum. Priuata primùm ea cura, & quiſque ſibi ſuiſque ſtruebat: poſtmodum Reges & Dynaſtæ vſurparunt, nec in vſum ſolùm, ſed ambitionem aut ſplendorem. Sanè multos congerere, vix fuit priuati hominis aut cenſus: cùm tarda & impendioſa deſcriptio eſſet: donec vtiliſſima hæc Typographia rem in compendium miſit. Qui primus Regum illuſtrem habuit (quod memoria ſeruet) is fuit Oſymanduas, Ægypti. qui inter alia operum præclara, *Sacram Bibliothecam ſtruxit, & in eius*

Lib. 1. *fronte præscripsit*, ψυχῆς ἰατρεῖον: ANIMI MEDICA OFFICINA. Ita Diodorus. & quamquam ille inter veteres Regum fuerit, non tamen dubito exemplum, si non ipsam rem, mansisse, & in Ægypto Bibliothecas semper aliquas exinde exstitisse: idque in templis præcipuè, & sacerdotum curâ. Multa argumento, tum & illud de Homero: Eustat. in Præfat. Odyss. quem Naucrates quidem plagij accusat, & in Ægyptum cùm venisset, libros repperisse *Phantasiæ* fæminæ, quæ Iliadem atque Vlysséam scripserit, & *Memphi in templo deposuerit Vulcani.* Homerum igitur vidisse, sibi adscripsisse, & edidisse. Quæ in viro, opinor, falsa, rem tamen & morem firmant.

CAP. II.

Alexandrina Bibliotheca, cui Philadelphus primus & præcipuus auctor. Varietas & numerus ibi librorum. Combusta, & iterùm instaurata.

SED reliquæ ibi in obscuro sunt, *Ptolomæi Philadelphi* Regis in magnâ luce & laude fuit. Is *Ptolomæi Lagi* filius, secundus eo nomine & stirpe Ægypti regũ: artium & ingeniorum cultor, & quod adhęret, librorum. Itaque Alexandriæ ingentem Bibliothecam composuit: instructione & exemplo Aristotelis adiutus, imò & ipsis eius libris. Nam Aristoteles, vt pòst dicam, copiâ & dilectu Lib. 1. insignem Bibliothecam adornauerat. de quâ Strabo: Ἀριστοτέλης πρῶτος, ὧν ἴσμεν, συναγαγὼν βιβλία, καὶ διδάξας τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ βασιλέας βιβλιοθήκης σύνταξιν: *Aristoteles primus, quos norimus, collector librorum fuit, & reges in Ægypto docuit Bibliothecæ structuram.* Quæ tamen cautè & cum

cum suâ interpretatione legenda: nec enim vel *primus omnino* fuit; & certè æuo anterior, docere *Philadelphum* hunc non potuit, nisi, vt dixi, exemplo. Hoc fortasse verum, quod Athenæo scriptum: *Aristotelem, Theophrasto libros reliquisse, hunc Neleo. à quo eos mercatus Ptolomæus, cum iis quos Athenis & Rhodi coëmerat, omnes in pulchram Alexandriam transferri curauit.* Etsi alij tamen dissentiunt, vt in loco dicam. Sed Bibliothecam igitur ille vndique, & omne genus libris, instruxit: etiam sacris, & è Iudæâ petitis. Nam cùm aures eius fama tetigisset Hebrææ sapientiæ, misit qui libros deposcerent, & idoneos simul homines conduxit, qui in Græcam linguam verterent, communi omnium vsui. Ea interpretatio est, quam *Septuaginta*, à numero scilicet qui operam dederunt, dicunt. Id euenisse anno eius regni XVII. Epiphanius tradidit, Olympiade CXXVII. Præerat Bibliothecæ, vir scriptis & factis illustris, Demetrius Phalereus, exul à suis Athenis: & quem rex benignè habitum ad hæc & maiora ministeria admouit. Idémque à Chaldæis, Ægyptiis, Romanis etiam libros petiuit, & pariter in linguam Grçcam transfundi curauit. De quibus Georgium Cedrenum capio: *Philadelphus libros Sacros, Chaldaicos, Ægyptios, & Romanos, aliósque diuersilingues in Græcam omnes conuerti curauit, in vniuersum ad centum millia voluminum: quæ omnia in bibliothecis suis Alexandriæ reposuit.* Duo noto, & curam peregrinos libros vertendi, vtilem meo animo, & vobis PRINCIPIBVS etiamnunc vsurpandam: & numerum librorum, grandem satis, sed non pro vero, si de vniuersis capiamus. Quod abnuo, & Cedreni mentem de conuersis tantùm esse arbitror: atq;

Lib. I. De ponder. & mensur. Lib. XXI.

ipsos primogenios Græcos, longè superasse. Hoc alij scriptores dixerint, qui valdè adaugent. vt Seneca noster: *Quadringenta millia librorum Alexandriæ arserunt, pulcherrimum regiæ opulentiæ monumentum.* Sanè pulcherrimum, & supra gemmas omnes vel aurum: sed quanto pulchrius, si vberius? Nam nec is Senecæ numerus ex vero satis, & ad *Septingenta millia* redigendus. Iosephus doceat, qui tradit *Demetrium* (illum Præfectum, de quo dixi) *aliquando interrogatum à Philadelpho, quot millia librorum iam haberet? respondisse, ducenta millia admodum, sed sperare breui ad quingenta.* Vides, quàm auxerit: sed quanto magis posteà, atque etiam alij Reges? Profectò ad *Septingenta millia* venerunt, Agellio disertim scribente: *Ingens numerus librorum in Ægypto à Ptolomæis regibus vel conquisitus* (emptione) *vel confectus* (descriptione) *est, ad millia fermè voluminum septingenta.* Idem Ammianus, verbis statim dandis: idem Isidorus, sed emendandus: *Septuaginta millia librorum Alexandriæ, Philadelfi temporibus, inuenta sunt.* Scribendum, inquam, *septingenta.* O thesaurum, sed in re æternâ non æternum! Nam totum hoc, quidquid fuit librorum, bello ciuili Pompeiano periit, cùm Cæsar in ipsâ vrbe Alexandriâ bellum cum incolis gereret, & tuitionis suæ caussâ ignem in naues misisset, qui & vicina naualibus, ipsamque Bibliothecam comprehendit & absumpsit. Triste fatum, & Cæsari (etsi absque destinatâ culpâ) pudendum! itaque nec ipse in tertio Ciuilium, nec Hirtius deinde meminêre: alij tamen; vt Plutarchus, Dio, etiam Liuius, vti ex Senecâ facile est haurire. Nam post superiora illa verba, addit: *Alius laudauerit, vt Liuius,* qui

De Tranquil. cap. IX.

XII. Antiq. cap. II. & Eusebius De præpar. lib. VIII. ex Aristeâ.

Lib. VI. cap. vlt.

qui elegantiæ regum curæq; egregium id opus ait fuisse. Sunt ipsa Liuij verba, vbi de hoc incendio: & iusto elogio in rem & Reges. Sed de hoc tristi igne etiam Ammianus: *Inter templa eminet Serapéum, in quo Bibliothecæ fuerunt inæstimabiles; & loquitur monumentorum veterum concinens fides, septingenta voluminum millia, Ptolomæis regibus vigiliis intentis composita, bello Alexandrino, dum diripitur ciuitas, sub Dictatore Cæsare conflagrasse*. Ipse in direptione euenisse vult: itémque Agellius. *Ea omnia volumina*, inquit, *bello priore Alexandrino* (ad discrimen eius, quod sub Antonio) *dum diripitur ciuitas, non sponte neq; operâ consultâ, sed à militibus fortè auxiliariis incensa sunt*. Excusat verò ipse non Cæsarem tantùm (quo quid librorum aut ingeniorum amãtius?) sed Romanos milites, & culpam hanc ad exteros auxiliares ablegat. Ceterùm de direptione, non ita Plutarchus aut Dio: quos est videre. Hic igitur finis nobilis Bibliothecæ, Olympiade CLXXXIII: cùm vix CCXXIV. annos fuisset. Etsi reuixit tamen, non eadem (quî id potuit?) sed consimilis, & eodem loci, id est in Serapéo, collocanda. Auctor reparandi Cleopatra, illa amoribus Antonij famosa: quæ ab eo in auspicium & velut fundamentũ operis impetrauit Bibliothecam *Attalicam* siue Pergamenam. Itaque totam cùm dono cepisset, & transferri curasset, iterùm adornata auctáque est, & Christianorum etiam temporibus, in vitâ & famâ fuit. Tertullianus: *Hodie, apud Serapéum, Ptolomæi Bibliothecæ, cum ipsis Hebraicis litteris, exhibentur*. Nota, apud Serapéum iterùm fuisse, id est in eius porticibus: atque id vicinum portui & naualibus, ex Strabone aliisque discas. Nota, & *Ptolomæi Bibliothecas*

Lib. XXII.

Lib. VI.

Apolog. cap. XVIII

 dici:

dici: etsi reuerà non illæ iam essent, sed consimiles, & primogenij illi Hebraici libri, vnáque LXX. interpretatio, flammâ periissent. Tamen ecce, tanta auctoritas & fides ab antiquo eius Bibliothecæ, vt Tertullianus gentiles eò aduocet aut amandet. Credo stetisse, quamdiu ipsum Serapéum, immensæ molis & stupendi artificij templum: quod Christiani denique, Theodosij maioris imperio, vt arcem superstitionis, demoliti à fundo sunt, Ecclesiasticis scriptoribus traditum & laudatum.

Ruffin. II. cap. XXIII itemque Socrates & Sozomen. alij.

CAP. III.

Græcæ Bibliothecæ. Pisistrati & Aristotelis præcipuæ, itémque Byzantina.

ATQVE ista de Ægypti Bibliothecis repperi, pauca & parua fortasse de multis & magnis. Sed æuum scilicet absorpsit: quod & in *Græciæ Bibliothecis* liceat accusare. De quibus nobilioribus, strictim Athenæus: vbi *Laurentium* suum ita in hoc studio parandorum librorum dilaudat, vt dicat eum, *Polycratem Samium, Pysistratum tyrannum, Euclydem Atheniensem, Nicocratem Cyprium, Euripidem poëtam, Aristotelem philosophum superasse*. Et de omnibus istis singillatim non habeo dicere: nisi de *Pisistrato*, cui & laudem primi auctoris in hoc studio Agellius adscripsit. Et sanè *Polycrates* æuo ferè concurrit. Sed Agellij verba: *Libros Athenis disciplinarum liberalium, publicè ad legendum præbendos, primus posuisse dicitur Pisistratus tyrannus.* Magnus vir (odiosum hoc modò cognomen tolle) & cui Homerum etiam digestum & cor-

Lib. I.

Lib. VI.

rectum

rectum numquam soluturi debemus. Adeò Critica hæc cura olim Principum, imò Regum, fuit. Ea Bibliotheca ab ipsis deinde Atheniensibus variè aucta, donec spoliauit & auexit Xerxes, Athenarum potitus. Sed eosdem, *multis pòst annis, Seleucus Nicanor, Syriæ rex, liberaliter remittendos Athenas curauit, donauitque. Et mansisse deinde ad Sullæ tempora, qui & ipse Athenas cepit, diripuit, afflixit: posteà tamen instauratam, iustè opinor. quomodo enim mater artium, sine instrumento hoc librorum? Imò plures ibi Bibliothecæ posteà: & *Hadrianus Jmp. Iouis Panellenij ædem Athenis struxit, & in eâ Bibliothecam*, Pausaniæ scriptum. Sed de *Euclide*, quod ait Athenæus: hunc Archontem fuisse, inter primos eius magistratus comperior: nec vltrà. De *Aristotele* autem, Strabo magnificè in verbis, quæ suprà dedi: & addidi ex Athenæo, Bibliothecam eius tandem ad Ptolomæos Reges venisse: etsi Strabo atque alij videantur negare. Nam ille ita: *Libros Aristotelis, qui ad Neleum venissent, ad posteros deinde transmissos, ineruditos homines; & qui sub clauibus eos, sine vsu vllo habuissent. Denique sub terram conditos, à blattis & tineis vitiatos, tandem Apelliconi Teio magnâ pecuniâ addictos fuisse. Qui erosos lacerósque describi, vulgari, etsi parum bonâ fide aut iudicio curasset. Eo autem mortuo, Sullam Athenis potitum, eosdem libros suos fecisse, Romam misisse, ibíque Tyrannionem Grammaticum iis vsum, atq; (vt fama est) intercidisse, aut inuertisse.* Quibus similia aut eadem Plutarchus, in Sullâ. Quæ si vera, quomodo ad Philadelphum à Neleo venerint, Athenæo suprà assertum? Nisi fortè (atque ego arbitror) ipsos quidem Aristotelis libros, ab illo, inquam, scriptos

* Olymp. CXVII.

Lib. XIII.

ſcriptos Neleus tenuerit, poſteriſque tranſmiſerit, vt peculiarem theſaurum: at reliquam vim alienorum ſcriptorum, vendiderit Philadelpho. Neque memoratu digna alia de Græciæ Bibliothecis legere memini: & Romani haud dubiè pleraq; talia ad ſe tranſduxerunt, Græciâ iam potiti: niſi placet Byzantinam his accenſere, quæ Principum æuo fuit. Nam Zonaras & Cedrenus tradunt, Baſiliſci imperio, *Bibliothecam ibi conflagraſſe, in quâ centum viginti millia librorum eſſent recondita: inter ea Draconis inteſtinum*, CXX. *pedes longum, cui aureis litteris Homeri Jlias atque Odyſſéa fuerint inſcripta*. Etſi hæc Thraciæ propriè, non Græciæ attribuenda.

CAP. IV.

Attalica Bibliotheca, cui Eumenes auctor. Plinij & Vitruuij aliqua hîc fortè inconſiderantia. Quanta, & quàm diu fuerit.

SICVT & *Attalica* ſiue *Pergamena*, Aſiæ: quæ proxima claritate ab illâ Alexandrinâ fuit. Nam Attalici Reges, è paruis progreſſi, cùm ſocietate opibuſq; Romanis creuiſſent: ſedem regni *Pergamum* variè, tum & Bibliothecis, exornarunt. Eumenem, Attali Regis filium, Lib. XIII. auctorem huic rei Strabo prodidit: *Eumenes*, inquit, *vrbem inſtruxit, & donariis ac Bibliothecis, vti nunc eſt, eleganter excoluit*. Et Plinius. qui ſcribit, *æmulatione circa Bibliothecas Regum, Ptolomæi & Eumenis, ſupprimente chartas Ptolomæo, membranas Pergami, vt Varro auctor eſt, repertas*. Cui paria Hieronymus, in Epiſtolâ ad Chromatium, itemque Ælianus tradiderunt: ſed *Attalum*,

Lib. XIII. cap. XI.

lum, pro *Eumene*, nominantes. Enimuerò de neutro horum ſatis conuenit, ſi tempora examinas: quoniam iſti poſteriores *Philadelpho*, toto ferè ſæculo, fuerunt. Quomodo igitur, quod Plinius ait, *æmulatio* inter eos? Niſi hoc ſubuenit, *Ptolomæum* ſimpliciter nominari: qui alius à Philadelpho eſſe potuit, & *Ptolomæus Quintus*, cognomento *Epiphanes*, cum Eumene vixit. Atque ille fortaſſe (quamquam de inſigni eius ſtudio in Bibliothecas nihil proditum) chartam ſuppreſſit, inuidiâ, ne alter veterem illam nouâ ſuâ æquaret. Sed error ſiue inconſpectio clarior in Vitruuio, qui his verbis inſcripſit: *Reges* Lib. VII. initio. *Attalici, magnis Philologiæ dulcedinibus inducti, cùm egregiam Pergami Bibliothecam, ad communem delectationem, inſtituiſſent: tunc item Ptolomæus, infinito zelo cupiditatiſque ſtudio incitatus, non minoribus induſtriis, ad eumdem modum, contenderat Alexandriæ comparare.* Quid? vt Attalici reges ante Alexandrinos in hoc ſtudio? vt exemplum ardoremq́; iſti ab iis ſumpſerint? Imò verò contrà fuit, & peregerant iam, cùm nec illi cogitarent. Niſi & hîc placet de poſteriore aliquo *Ptolomæo* adducere & velare, ſed velare. Ceterùm Bibliotheca hęc nec copiâ, nec æuo, Alexandrinam æquauit. Nam de vtroque iſto Plutarchus ſcribit, Antonium III. virum, faſcinatum In M. Antonio. amoribus Cleopatræ, χαρίσασθαι μὲν αὐτῇ τὰς ἐκ Περγάμου βιβλιοθήκας, ἐν αἷς εἴκοσι μυριάδες βιβλίων ἁπλῶν ἦσαν: *gratificatum ei Bibliothecam Pergami, in quâ eſſent ducenta millia ſingularium librorum*, id eſt voluminum. Hoc enim opinor ἁπλᾶ βιβλία dici, cùm in vno volumine plures ſæpè libri: quos non vult in numerum hunc venire. Ergo ea ipſa ſtatim poſt Alexandrinam periit, ſed

in eâ vixit: an & in loco suo reuixit? Certè Strabonis suprà verba si attendis, significant: cùm ait, *Vti nunc est*, *excoluit*. Quando *nunc?* Strabonis scribentis, id est, Tiberij æuo. Vt appareat, aut reuectam ab Augusto victore esse, qui pleraque irrita Antonij fecit; aut certè exscriptam iterùm, & instauratam. De quo, præter suspicari, non equidem dicam.

CAP. V.

Romanæ Bibliothecæ, priuatæ: & prima publica Asinij Pollionis.

ATQVE hæ Bibliothecæ, quas memoratu dignas apud exteros repperi: veniamus ad Romanas, situ & æuo magis propinquas. Satis enim tarda ibi hæc cura aut studium, apud Martis non Musarum proles: etsi, cum bono Deo, hîc quoque cultus & elegantia denique inualuit, paruis primò initiis, vt solet. Isidori notatio est: *Romam primus librorum copiam aduexit Æmilius Paullus, Perse Macedonum rege deuicto: deinde Lucullus è Ponticâ prædâ.* Duos nominat, qui libros aduexêre, sed publici vsus aut iuris non prorsus fecêre. Et de Æmilio, haud vltrà legi: de Lucullo, Plutarchus vbertim. *Laudanda eius impensa*, inquit, *& studium in libris. Nam & multos, & eleganter scriptos, conquisiuit: eosq; vt liberaliter parauit, ita etiam vtendos dedit. Patebant enim omnibus Bibliothecæ, & in porticus adiectas atque exedras Græci præsertim recipiebantur: qui velut ad Musarum ædem eò ventitabant, tempusq; inter se iucundè traducebãt, ab aliis curis liberi. Sæpè & ipse cum iis versabatur, &* philo-

philologis se immiscebat, ad has porticus & ambulationes veniẽs. Ex quibus vides, ILLVSTRISSIME PRINCEPS, velut publicas fuisse has Bibliothecas, & quamquam ius mancipiumque sibi retineret, vsum tamen eruditis concessisse: quod & benignè vos facere soletis. At verò tertium etiam his duobus licebat addere, Cornelium Sullam, posteà Dictatorem: qui è Græciâ Athenisq; magnam librorum vim traduxit, & Romæ deposuit ac disposuit: quod, præter Plutarchum, *Lucianus etiam scripsit. Tamen his omnibus verè Publica Bibliotheca nondũ structa: quam cogitationem primus magnanimus & magnificus ille Iulius Cæsar concepit, ac, nisi fata interpellassent, effecisset. Suetonius de eo: *Destinabat Bibliothecas Græcas & Latinas, quàm maximas posset, publicare, datâ M. Varroni curâ comparandarum ac dirigendarum.* O rem magni animi, atque item consilij! Nam quis in orbe terrarum huic curæ aptior M. illo Varrone, doctissimo inter Grçcos Latinosque? Sed destinauit Cæsar, non perfecit: Augustus, adoptione filius, inter alia ornamenta vrbis & imperij, hoc quoque plurifariàm adiunxit. Nam eo inuitante atque incitante, Asinius Pollio, orator & Senator nobilis, (Suetonio narrante) *Atrium Libertatis exstruxit,* atque in eo Bibliothecam publicauit. Isidorus: *Primus Romæ Bibliothecas publicauit Pollio, Græcas Latinásque, additis auctorum imaginibus, in Atrio, quod de manubiis magnificentissimum instruxerat.* De manubiis, inquit: nempe Dalmatarum, quos vicit. Item Plinius: *Asinius Pollio, primus Bibliothecam dicando, ingenia hominum rem publicam fecit.* In Atrio Libertatis fuisse, id est in monte Auentino, ex istis constat: quod tamen instru-

*Aduersus indoctum.

Lib. xxxiv. cap. II.

ctum aut reparatum ab eo magis dixerim, quàm exstructum. Nam iamdiu antè id fuisse, & quidem à Tib. Graccho, patre Gracchorum, Plutarchus atque alij scriptores dicunt. Itaque ipse refecit, & ad hunc vsum splendidè concinnauit. De eo Ouidius capiendus:

III. Trist. eleg. I.

Nec me, quæ doctis patuerunt prima libellis,
Atria Libertas tangere passa sua est:

Non enim viros doctos audio, quî hæc ad λέσχην, siue conuentum poëtarum, ducunt. Palàm libellus conqueritur, non receptum se in Bibliothecam Asinij, quæ *prima patuit*, siue publicata est, *doctis libris*.

CAP. VI.

Augusti, Octauia; itémque Palatina. Præfecti & custodes iis.

ATQVE hæc igitur sub Augusto prima Publica fuit: duæ mox aliæ, ab ipso. Prior, *Octauia*: quam sororis suæ memoriæ & nomini dedicauit. De eâ Dio Cassius, in actis anni DCCXXI. *Augustus Porticus & Bibliothecas, à sororis nomine Octauias dictas, exstruxit.* Etsi Plutarchus tamen in ipsam Octauiam transscribere hoc opus videtur: Εἰς δὲ τιμὴν αὐτοῦ (Μαρκέλλου) καὶ μνήμην Ὀκταβία μὲν ἡ μήτηρ τὴν βιβλιοθήκην ἀνέθηκεν, Καῖσαρ δὲ θέατρον, ἀναγράψας Μαρκέλλου: *In honorem ac memoriam defuncti Marcelli mater Octauia Bibliothecam dedicauit, Cæsar Augustus Theatrum, Marcelli nomine inscriptum.* Falli Plutarchum opinor: quia Dionis quidem notatio totis decem annis citerior est Marcelli morte. Atque addit, ex *Dalmatarum manubiis* opera eâ structa:

Lib. XLIX.

In Marcello.

ſtructa: miro concurſu, vt prima atque altera Bibliotheca genti Barbaræ debeantur. De hac & Suetonius, in *Meliſſo Grammatico: Citò manumiſſus, Auguſto etiam inſinuatus eſt, quòd eleganter curam ordinandarum Bibliothecarum in Octauiæ porticu ſuſcepit.* Nota, in ipsâ *Porticu* fuiſſe: quomodo? ſuperiore eius parte, vti arbitror, tutò & decorè: cùm inferior ambulationi modò eſſet. De hac Ouidius item ſenſit:

Altera templa peto, vicino iuncta theatro: III. Triſt. eleg. I.
Hæc quoque erant pedibus non adeunda meis.

Nam & ab hac Bibliothecâ ſpretum ſe libellus queritur: & locum vbi fuerit, deſignat. Quem? vicinum Theatro Marcelli. *Templa* autem dicit, quia in hac Porticu *Iunonis ædes* fuit, & nobiles in eâ ſtatuæ: quod Plinius dicet. Altera porrò ab eodem Auguſto Bibliotheca eſt, *Palatina*, à loco dicta: quia in ipſo Palatio. Suetonius: *Templum* Cap. XXIX. *Apollinis in eâ parte Palatinæ domus excitauit, quam fulmine ictam deſiderari à Deo haruſpices reſponderant. Additæ Porticus, cum Bibliothecâ Latinâ Græcâque.* Id factum anno Vrbis DCCXXVI. vt ex Dionis LIII. initio diſcas. Itaque temporum ordinem in Bibliothecis recenſendis Ouidius ſecutus eſt, cùm primò *Aſiniam*, tum *Octauiam*, denique iſtam *Palatinam* ſic adnumerat:

Inde timore pari gradibus ſublimia celſis
Ducor ad intonſi candida templa Dei.
Signa peregrinis vbi ſunt alterna columnis,
Belides, & ſtricto barbarus enſe pater.
Quæque viri docto veteres fecêre nouique
Pectore, lecturis inſpicienda patent.

Quærebam fratres, exceptis scilicet illis,
Quos suus optaret non genuisse pater:
Quærentem frustrà, custos, & sedibus illis
Præpositus, sancto iussit abire loco.

Præter alia, ostendit & *Præpositum* siue *Custodem* huic loco fuisse: quem Suetonius facit *C. Julium Higinum.* Is in Grammaticis celebris, *præfuit*, vt inquit, *Palatinæ Bibliothecæ; nec eò seciùs plurimos docuit.* Imò seorsim *Græca* custodem suum habuit, & *Latina.* In marmore prisco: ANTIOCHVS. TI. CLAVDI. CÆSARIS. A. BIBLIOTHECA. LATINA. APOLLINIS. In alio: C. IVLIVS. FALYX. A. BIBLIOTHECA. GRAECA. PALAT. Et similes alibi inscriptiones. Huius Bibliothecæ meminit & Plinius: *Videmus Apollinem in Bibliothecâ templi Augusti Thuscanicum, quinquaginta pedum à pollice.* Etsi possis referre etiam ad Vespasiani Augusti Bibliothecam, quæ in Pacis templo fuit. Apertiùs de Palatinâ, idem Plinius alibi: *Veteres Græcas litteras fuisse easdem penè, quæ nunc sunt Latinæ, indicio erit Delphica tabula antiqui æris, quæ est hodie in Palatio, dono Principum Mineruæ dicata, in Bibliothecâ.* Hanc diutissimè Romæ mansisse, inducor credere verbis Io. Sarisberiensis, qui scribit: *Doctorem sanctissimum illum Gregorium, non modò Mathesim pepulisse ab Aulâ, sed vt traditur à maioribus, incendio dedisse probatæ lectionis*

Lib. XXXIV. c. VII.

Lib. VII. cap. LVIII

Lib. II. De nug. Cur.

Scripta, Palatinus quæcumque recepit Apollo.

In quibus erant præcipua, quæ cælestium mentem, & superiorum oracula hominibus videbantur reuelare. Notandum.

CAP.

CAP. VII.

Tiberij, Traiani, Vespasiani, item Capitolina: aliæ ignotæ.

AB Augusto igitur, artium ingeniorumq; amantissimo Principe, duæ istæ fuerunt. quid ab aliis? aliæ. Videtur enim certamē in hac re Principum fuisse, & velut contendisse de palmâ. Ecce *Tiberius* statim ab Augusto, in ipso Palatio etiā struxit, eâ parte quâ Viam Sacram spectat. Nam illîc Tiberij domum fuisse, curiosi talium hodie autumant: & in domo eius hæc locatur. Ab Agellio: *Cùm in domus Tiberianæ Bibliothecâ sederemus, ego & Apollinaris.* Lib. XIII. cap. XVIII. A Vopisco item: qui *vsum se* scribit *libris è Bibliothecâ Vlpiâ, item ex domo Tiberianâ.* In Probo. Videtur & *Vespasianus* deinde struxisse, & adiunxisse templo Pacis. de quâ Agellius: *Commentarium L. Ælij, qui Varronis magister fuit, studiosè quæsiuimus, eumq; in Pacis Bibliothecâ repertum legimus.* Lib. XVI. cap. VIII. Meminitq; & Galenus, De composit. medicamentorum. Lib. I. Fuit item à *Traiano* alia. de quâ etiam Agellius: *Sedentibus fortè nobis in Bibliothecâ templi Traiani.* Lib. II. c. XXVII. Atque est eadem, quæ à gentili Principis eius nomine, *Vlpia* passim nominatur. Vopiscus: *Hæc ego à grauibus viris comperi, & in Vlpiæ Bibliothecis libris relegi.* In Aureliano. Iterumque: *Et si his contentus non fueris, lectites Græcos, linteos etiam libros requiras, quos Vlpia tibi Bibliotheca, cùm volueris, ministrabit.* Hanc in foro Traiani initiò fuisse, vbi Principis eius alia opera, facilè persuadeor: sed æuo mutasse, & translatam in collem Viminalem, ad ornādas Diocletiani Thermas, (an ab ipso Diocletiano?)

Vopiscus

Vopiſcus inducit. *Vſus ſum*, inquit, *præcipuè libris ex Bibliothecâ Vlpiâ, ætate meâ Thermis Diocletianis.* Cùm diſertè de *ſuâ* dicit, oſtendit igitur, aliâ *ætate* aliter fuiſſe. Reperio & *Capitolinam*, in vrbe. de quâ Euſebius, in rebus Commodi Imperatoris: *In Capitolium fulmen ruit, & magnâ inflammatione factâ, Bibliothecam, & vicinas quaſque ædes, concremauit.* Vberiùs hoc
Lib. VII. cap. XVI. ipſum ita Oroſius: *Flagitia regis pœna vrbis inſequitur. Nam fulmine Capitolium ictum, ex quo facta inflammatio Bibliothecam illam, maiorum ſtudio curâque compoſitam, ædéſque alias iuxtà ſitas, rapaci turbine concremauit.* Quis tamen eius auctor? adſerere haud liceat, diuinare libeat, Domitianum fuiſſe. Nam ille, ſeruatus olim in Capitolio, templum ibi Princeps ſtruxit: quid ſi & hanc Bibliothecam? Etſi nemo tradidit, qui nunc
Cap. XX. exſtant: Suetonius hoc tantùm de eo vniuersè: *Bibliothecas incendio abſumptas impenſiſsimè reparari curauit, exemplaribus vndique petitis, miſsíſque Alexandriam, qui deſcriberent emendaréntque.* Vbi obſerues, etiamtunc illam *Alexandrinam* velut originem & matricem aliarum habitam, & has corruptas ex eâ iterùm refectas & adornatas. Amplius, Principum ſtudio ab interitu vindicatas: quod niſi fuiſſet, quomodo tam multæ illæ ad P. Victoris, id eſt Conſtantini æuum, veniſſent? Nam ille ſic inter ſingularia vrbis notat: *Bibliothecæ publicæ, vndetriginta. ex iis præcipuæ duæ, Palatina & Vlpia.* Heu, quàm etiam à memoriâ perierunt! nam ex illis XXIX. vix ſeptem induſtria noſtra indagare potuit, & nomina ſaltem ab obliuione vindicare.

CAP. IIX.

Tiburtina, & quædam etiam Priuatorum vberiores. Habebant in Balneis, atque item in agris.

PLVRES, inquam, Publicas non eruo: non quidem in vrbe. iuxta eam, Tiburi, etiam vnam. De quâ A-gellius: *Meminimus in Tiburti Bibliothecâ inuenire nos* Lib. IX. cap. XIV.
in eodem Claudij libro scriptum. Iterúmque: *Promit è* Lib. XIX. cap. V.
Bibliothecâ Tiburti, quæ tunc in Herculis templo instructa satis commodè erat. Hîc & alibi de *Templis* adnotes, & ferè iuxta ea aut in illis fuisse. Quídni, sacra illa ingeniorum opera, in locis sacratis? Fortassis autem Hadrianus Imp. illam Tibure instruxit, quem eo loco & secessu impensè delectatum constat, variáque & ampla inædificasse. Etsi mihi certum, aliis municipiis coloniísque Bibliothecas sparsas fuisse, æquè atque artium istum cultũ. Sed & priuatim viri diuites, vsus & famæ caussâ, sibi pararunt: & nobiles ex iis quasdam. Sicut Tyrannio Grammaticus, Sullæ temporibus: qui *tria millia librorum* possedit. Sicut *Epaphroditus Chæronéus*, item Grammaticus professione. quem Suidas tradit, *sub Nerone ad Neruam Romæ vixisse: & adsiduè libros ementem, vsque ad triginta millia collegisse, optimorum quidem & selectorum*. Laudo hoc vltimum: nec tam copiam quæri, quàm bonitatem, cum dilectu. Optarim hunc fuisse, qui Epictetum, apicem veræ Philosophiæ, in seruis habuerit: & æuum consentit: sed titulus & munus vitæ dissentit, cùm iste *Grammaticus* fuerit, alter è *custodibus corporum Neronis*, eodem Suidâ prodente. Sed quisquis iste, superauit

eum *Sammonicus Serenus* in hoc ſtudio: qui Bibliothecam habuit, *in quâ ſexagintaduo millia librorum cenſebantur.* Is moriens eam reliquit *Gordiano minori*, qui guſtauit Imperium: Capitolino traditum, cum hoc elogio: *Quod Gordianum quidem* AD CÆLVM TVLIT. *ſiquidem tantæ Bibliothecæ copiâ & ſplendore donatus, in famam * hominum litteratorum decorè peruenit.* Vide ILLVSTRISSIME PRINCEPS, quàm hæc cura gratiam famamque pariat, vobis magnis inſatiabiliter parandam. Atque hi, aut pauci alij, proditi ſunt inſigniores Bibliothecas habuiſſe: plures tamen fuêre: & Seneca commune hoc ſtudium iam tunc ſuo æuo oſtendit, & damnat. Damnat. quare? *Non enim in ſtudium*, inquit, *ſed in ſpectaculum comparabant. ſicut pleriſque, ignaris etiam ſeruilium litterarum, libri non ſtudiorum inſtrumenta, ſed cœnationum ornamenta ſunt.* Et mox addit: *Apud deſidioſiſſimos ergo videbis, quidquid orationum, hiſtoriarúmque eſt, & tecto tenus exſtructa loculamenta. Iam enim inter balnearia & thermas, Bibliotheca quoque, vt neceſſarium domus inſtrumentum, expolitur.* Malè, fateor: & vtinam tamen noſtri diuites ſic laſciuiant! ſemper cum alieno aliquo, ſi non ſuo, vſu & bono. Obſeruare autem hîc eſt de *Balneis & Thermis* etiam: ſicut ſuprà notauimus, illam *Vlpiam* in Diocletiani Thermis dicatam. Cur autem ibi? credo, quia corpori curando otiosè tunc vacabant: & igitur occaſio erat legendi aliquid, hominibus aliâs occupatis, vel audiendi. Enimuerò etiam in Villis & Prætoriis paſſim habebant: ab eâdem hac, otij & vacationis ibi, cauſſâ. Ad quem morem Pauli Ic[ti] reſponſum dirigitur: *Fundo legato libros quo-*

que

*Legi malim: *homi num, litteratorum ore perue nit.*

De Tranquill. c. IX.

que & Bibliothecas, quæ in eodem fundo ſunt, legato contineri. Plinius de ſuâ villâ: *Parieti, in Bibliothecæ ſpeciem, armarium inſeritur.* Martialis, alterius cuiuſdam Iulij Martialis, villaticam Bibliothecam commendat: Lib. II. epiſt. XVII. Lib. VII.

Ruris Bibliotheca delicati,
Vicinam videt vnde lector vrbem,
Inter carmina ſanctiora ſiquis
Laſciuæ fuerit locus Thaliæ,
Hos nido licet inſeras velimo,
Septem quos tibi miſimus libellos.

CAP. IX.

Ornatus Bibliothecarum, ebore & vitro. Armaria, & Foruli, & Plutei, & Cunei.

PEREGI de Bibliothecis: & produxi, quas æuum quidem non ſubduxit. Vt rem dicam, paucas è multis: & *ſtillicidium de ſitulâ*, veteri verbo: tamen vel hæc ſatis ad ſtimulum, & exemplum. An & addam aliquid de ornatu earum ſiue inſtructo? fiat. In Iſidoro lego: *Peritiores architectos neque aurea lacunaria ponenda in Bibliothecis putaſſe: neque pauimenta alia, quàm è Caryſtio marmore. quòd auri fulgor hebetet, & Caryſtij viriditas reficiat oculos.* Bono hoc iudicio iſte, ſiue à quo hauſit. Nam de fulgore, certum eſt & mihi compertum, intentioni & ſtilo officere: ſicut de virore, liquet oculis recreandis eſſe. Boëtius hoc amplius in Conſolatione ſuggerit: *comptos ebore & vitro parietes fuiſſe.* Quid, parietes laterales? non ergo Armaria aut Plutei ad parietes (neque enim conſpicuus ſic ille ornatus fuiſſet)

ſed in medio diſpoſita, vt hodie quoque publicæ ferè Bibliothecę vſurpant. Sanè Vitra olim in quadras, orbes, oua, aut rhombos diſtincta parietes ornabant, non aliter quàm marmoreæ cruſtæ: ſępiùs tamen cameras, & lacunar. Ita enim Plinius, libro XXXVI. *Pulſa ex humo pauimenta in cameras tranſiêre, è vitro: nouitium & hoc inuentum.* Nouitium ita, vt tamen eſſet Neronis & Senecæ æuo. Nam vt de re vulgatâ Seneca, epiſt. LXXXVI. de Balneis: *Niſi vitro abſconditur camera:* atque ibi me vide. Tamen in *parietibus* etiam fuiſſe, præter Boëtium, Vopiſcus oſtendit, in Firmo: *Nam & vitreis quadraturis, bitumine aliiſque medicamentis inſertis, domum induxiſſe perhibetur.* Bitumen autem hîc ad committendum nectendumq; parieti accipio inſertum, non ad ipſas quadras iungendas: quas decorè magis ebur (vt in Boëtio) diſtinxit. Atque id etiam in Armariis ipſis fuit: vnde *Eborea Bibliotheca* in Pandectis legum: & in Senecâ, *Armaria cedro atque ebore aptantur.* Armaria autem fuiſſe in Bibliothecis, res & hodierna vſio demonſtrant: ſed addo, numeris ſuis diſtincta. Ita Vopiſcus: *Habet Bibliotheca Vlpia in Armario ſexto librum elephantinum.* Elephantinum. an ex Ebore, an in corio elephanti perſcriptum? Vetus Scholiaſtes Iuuenalis, in illud: *Hic libros dabit & forulos.*] *Armaria*, inquit, *bibliothecam.* Etſi propriè, opinor, *Foruli*, ipſi *nidi*, vt cum Martiale dicam, librorum, ſiue cum Senecâ, diſtincta *loculamenta*. Sidonius & hæc & alia in Bibliothecis collocat: *Hîc libri affatim in promptu. videre te crederes aut Grammaticales Pluteos, aut Athenæi Cuneos, aut Armaria exſtructa Bibliopolarum.* *Pluteos*, id eſt tabulas inclinatas tranſuerſim,

De Tranquil. c. IX.

Lib. II. epiſt. IX.

uersim, quibus libri legendi imponerentur: *Cuneos*, scamnorum seriem, vt in Athenæo, sic digestam: *Armaria* autemplena & alta, quæ dixi. Ea *Pegmata* Cicero ad Atticum videtur appellasse. Lib. I.

CAP. X.

Imagines in iis doctorum, laudabili more: cui origo ab Asinio.

SED vel præcipuus ornatus, & imitandus, meo iudicio, nondum hodie imitatus, sunt *Imagines* siue & *Statuæ* doctorum, quas vnà cum libris disponebant. Nónne pulchrum, & suaue oculis ac cogitationi fuit? Naturâ trahimur ad simulacra & effigies magnorum virorum noscendas, & illa corpora, siue hospitia, quibus cælestis se animus inclusit: ecce hîc erat. Homeri, Hippocratis, Aristotelis, Pindari, Virgilij, Ciceronis, & alia scripta videres aut libares oculis: vnà etiam imaginem scriptoris adiunctam. Iterùm repeto, pulchrum: &, te ILLVSTRISSIME præëunte, cur non vsurpamus? Romanum hoc inuentum videtur: ne omnia bella ad Græciam referantur: & Plinius inclinat. *Nullum maius* (inquit pulcherrimâ gnomâ) *felicitatis specimen arbitror, quàm semper omnes scire cupere, qualis fuerit aliquis. Asinij Pollionis hoc Romæ inuentum, qui primus Bibliothecam dicando, ingenia hominum rem publicam fecit. An priores cœperint Alexandriæ & Pergami Reges, qui Bibliothecas magno certamine instituêre, non facilè dixerim.* Itaque Asinius Lib. XXXV. cap. II.

videtur auctor. qui etiam (eodem Plinio prodente) M. Varronis, *in Bibliotheca, quæ prima in vrbe* (absurdè in *orbe* alij) *publicata est, vnius viuentis posuit imaginem.* Quod tamen & aliis posteà, indulgentiâ an iudicio, datum video: & nominatim Martiali poëtæ. qui gloriatur, quòd *Stertinius imaginem eius ponere in Bibliothecâ suâ voluerit.* Sed plerumque mortuorum, & quos famæ consensus iam sacrasset. Plinius: *Non est prætereundum & nouitium inuentum. siquidem non solùm ex auro argentóve, aut certè ex ære, in Bibliothecis dicantur illi, quorum* IMMORTALES ANIMÆ *in iisdem locis loquuntur; quinimò etiam quæ non sunt, finguntur, pariúntque desideria non traditi vultus.* Appellat *nouitium*, id est Pollionis, *inuentum.* ostendit mortuorum, & è metallo plurimùm fuisse: sed addo etiam è gypso, in priuatis (pro cuiusque scilicet copiâ) Bibliothecis. Iuuenalis:

Lib. VII. cap. XXX.
Præfat. lib. IX.
Lib. XXXV. cap. II.

—*quamquam plena omnia gypso*
Chrysippi inuenias.

Imò & in tabulis, opinor, imagines fuère: & fortasse in librorum fronte picturâ etiam expressæ. Seneca: *Ista exquisita, & cum imaginibus suis descripta sacrorum opera ingeniorum.* Suetonius in Tiberio: *Scripta eorum & imagines, publicis Bibliothecis, inter veteres & receptos auctores, dedicauit.* Plinius in Epistolis: *Herennius Seuerus, vir doctissimus, magni æstimat in Bibliothecâ suâ ponere imagines Cornelij Nepotis, & Titi Attici.* Itaque vtrumque, & Statuæ & Imagines fuère. Plinius idem, de Silio Italico: *Plures iisdem in locis villas possidebat. multum vbique librorum, multum statuarum,*

De Tranquill.
Cap. LXX.

rum,

rum, multum imaginum : quas non habebat modò, verum-etiam venerabatur. Virgilij ante omnes. Vopiſcus, de Numeriano: *Huius oratio tantum habuiſſe fertur eloquentiæ, vt illi ſtatua, non quaſi Cæſari, ſed quaſi Rhetori decerneretur, ponenda in Bibliothecâ Vlpiâ, cui ſubſcriptum eſt:* NVMERIANO. CÆSARI. ORATORI. TEMPORIBVS. SVIS. POTENTISSIMO. Sed & Sidonius ſibi ibidem poſitam, iure gloriatur:

Cùm meis poni ſtatuam perennem
Nerua Traianus titulis videret,
Inter auctores vtriuſque fixam
Bibliothecæ.

Significat, & in Græcâ & Latinâ Bibliothecâ, ſtatuam ſe habuiſſe. Ceterùm minores illæ imagines ſiue ſtatuæ Pluteis plerumque impoſitæ videntur, ante ſuos quæque libros. Iuuenalis:

Et iubet archetypos Pluteum ſeruare Cleanthas.

Veteris diſtichi ea mens, quod *Imagini* tali *Virgilianæ ſubſcriptum* fuit:

Lucis damna nihil tanta nocuêre potētæ,
Quem præſentat honos carminis & Plutei.

Significat, videri viuere, qui in libris & imagine viuit. Inde & *Sigilla Plutealia* apud Ciceronem, ad Atticum. Nam iamtunc Bibliothecas exornabant Deorum, ſi non auctorum ſigillis.

CAP.

CAP. XI.

In occasione de Muséo Alexandrino. docti viri ibi habiti atque aliti, in publicum bonum. Reges aut Imperatores ei curabant.

*digna dici.

ET plura equidem super Bibliothecis, quæ * ἀξιόλογα sint, non habeo: vnum etiam, quod ad earum fructum. Nam si solæ eæ, aut rarus aduentor, si homines, inquam, non sunt qui frequentent & euoluant: quò ista congeries? & quid nisi *studiosa quædam luxuria* sint, vt Seneca appellat? Prouiderunt hoc quoque Alexandrini Reges: & vnà cum illis *Muséum* (ita dixerunt, quasi *Musarum ædem*) exstruxerunt, in quo fas esset Musis operari, à ceteris rebus feriatos. Imò & à vitæ victúsque curis vacuos: cùm alimenta iis hîc è publico darentur. Præclarum institutum! quod vnus Strabo optimè describit:

Lib. XVII. Τῶν δὲ βασιλείων μέρος ἐστὶ καὶ τὸ Μουσεῖον, ἔχον περίπατον καὶ ἐξέδραν, καὶ οἶκον μέγαν, ἐν ᾧ τὸ συσσίτιον τῶν μετεχόντων τοῦ Μουσείου φιλολόγων ἀνδρῶν. Ἐστὶ δὲ τῇ συνόδῳ ταύτῃ καὶ χρήματα κοινὰ, καὶ ἱερεὺς ὁ ἐπὶ τῷ Μουσείῳ τεταγμένος, τότε μὲν ὑπὸ τῶν βασιλέων, νυνὶ δ' ὑπὸ Καίσαρος: *Pars etiam Regiæ est Muséum, quod ambulationi & sessui loca habet, & magnam vnam domum, in quâ conuiuunt & comedunt vnà, qui Muséi consortes sunt, litterati viri. Habet autem hoc collegium & pecuniam siue vectigalia in commune, & Sacerdotem item, qui Muséo præest, olim à Regibus, nunc à Cæsare constituendum.* Primùm ait, *Regiæ* siue *Aulæ partem* fuisse. Scilicet adnecti sibi & iungi voluerunt Reges, vt in propinquo & promptu

ptu essent eruditi isti, cum quibus differerent, cùm libitum, animo docendo, & pascendo. Habuit *Porticus* & *Exedras*: illas exercitio corporis magis; has animi, & vbi considentes altercarentur & conferrent. Fuit & *Domus*, *vbi communis iis victus & mensa*: quod sic etiam Philostratus expressit, de Dionysio: quem in *Muséum receptum* scribit, additque: Τὸ δὲ μουσεῖον τράπεζα Αἰγυπτία ξυγκαλοῦσα τοὺς ἐν πάσῃ τῇ γῇ ἐλλογίμους: *Muséum autem est Ægyptia mensa, quæ conuocat omnes in vniuersâ terrâ litteratos.* Verba pensitari cupio. *omnes ex omni terrâ*: & viden' numerum, nec rem tenuem & parui impendij fuisse? Quod & Timon Sillographus indicat, etsi more & instituto suo carpens: In vitâ Dionysij Milesij.

> Πολλοὶ μὲν βόσκονται ἐν Αἰγύπτῳ πολυφύλῳ
> Βιβλιακοὶ χαρακῖται, ἀπείριτα δηριόωντες,
> Μουσέων ἐν ταλάρῳ.
> *Permulti pascuntur in Ægypto populosâ*
> *Pugnantes libris, ac semper digladiantes*
> *Musarum in caueâ.*

Nam, explicante Athenæo, τὸ μουσεῖον τάλαρόν που φησὶν, ἐπισκώπτων τοὺς ἐν αὐτῷ τρεφομένους φιλοσόφους, ὅτι ὥσπερ ἐν πανάγρῳ τινὶ σιτοῦνται, καθάπερ οἱ πολυτιμότατοι ὄρνιθες: *Muséum dixit Caueam, irridens Philosophos qui in eo alebantur, velut pretiosæ quædam aues.* Iste Philosophos nominat, sed Strabo vniuersè ἐλλογίμους ἄνδρας dixit, *litteratos doctósque viros*: & omne genus haud dubiè receptum. Sed *viros* ait: non ergo pueros aut iuuenes, & qui velut in spem studiorum (hodie solitum) educarentur. Non. quin istud velut præmium eruditis, & quies quædam honesta fuit: haud alitèr quàm Athenis, benè Lib. 1.

E de rep.

de rep. meritis victus erat in Prytanéo. Vbi estis PRINCIPES? & quos vrit aut excitat honestus æmulandi ignis? Sed pergit Strabo, & *Sacerdotem* præficit, Regum aut *Cæsarum dilectu*. Magna igitur dignitas, & quæ ab ipso Cęsare conferenda. Sed quid, quòd ipsa ibi loca idē Cæsar adsignaret? Ita enim Philostratus, de Dionysio Sophistâ: Ἀδριανὸς σατράπην αὐτὸν ἀπέφηνεν οὐκ ὀλίγων ἐθνῶν. κατέλεξε δὲ τοῖς δημοσίᾳ ἱππεύουσι, καὶ τοῖς ἐν τῷ μουσείῳ σιτουμένοις: *Hadrianus Imp. Satrapam siue Præfectum eum constituit non exiguarum gentium: & adscripsit inter eos qui publicè equo veherentur: itémque qui in Muséo alerentur.* Iterùm, de Polemone: Κατέλεξε δὲ αὐτὸν καὶ τῷ τοῦ μουσείου κύκλῳ ἐς τὴν Αἰγυπτίαν σίτησιν: *Allegit eum* (Hadrianus) *& Muséi conuentui, ad Ægyptiam mensam.* Sed notem ibi vocem κύκλῳ, *circulo* (etsi ego *Conuentui* reddidi:) quâ significari arbitror, in orbem rem iuisse, & quosdam allectos tempestiuè, & in antecessum: id est, priusquam locus vacuus etiam esset. Sed spes sustentabat, & ordine succedebant, qui sic adscripti: vt hodie in beneficiorum collatione Principes quidam vsurpant. Athenæus denique huius donationis à Principe etiam meminit: vbi ait *Pancratem quemdam poëtam, ingeniosè Hadriano adulatum de Antinoo suo: atque ille*, inquit, ἡσθεὶς τῇ εὑρέσει, τὴν ἐν μουσείῳ σίτησιν αὐτῷ ἔχειν ἐχαρίσατο, *delectatus inuentiunculâ, cibum in Muséo illi gratificatus est.* Atque hæc Strabo aliique super loco & instituto: licet addere, non vacuam omnino aut otiosam ibi vitam vixisse (quî possent viri bono publico nati?) sed aut scripsisse, aut disseruisse, & recitasse. Ita Spartianus tradit, *Hadrianum Alexandriæ in Muséo multas quæstiones*

Lib. xv.

stiones Professoribus proposuisse, aut propositas dissoluisse. Adde Suetonium, in Claudio: qui & Muséum hoc, altero addito, adauxit: vt certi libri ibi quotannis recitarentur. Desino Cap.XLII.

DVX ILLVSTRISSIME. & te è magnis, ad omnia magna natum, hortor viam hanc veræ laudis porrò insistere, & libris litteríſque propagandis, æternitati tuum nomen consecrare.

APPROBATIO.

Libellus iste vtiliter admodum in lucem proferetur; quòd præter Bibliothecarum originem ac fructum, ea contineat, quæ ad stimulum conferant & exemplum. Quas, si quidem auctorum sint optimorum ac selectorum, non immeritò Seuerinus Boëtius certissimas Philosophiæ sedes appellat, vt in quibus ipsa cùm erudito lectore de humanarum diuinarúmque rerum scientia disserat.

Guilielmus Fabricius Nouiomagus Apostolicus ac Archiducalis librorum Censor.

PRIVILEGIVM CÆSAREVM.

RVDOLPHVS SECVNDVS diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & VVirtembergæ, &c. Comes Tirolis,&c. Nostro & Sacri Imperij fideli dilecto IVSTO LIPSIO gratiam nostram Cæsaream. Postquam inter alia, quæ DEVS immortalis hominibus liberali manu dedit dona, illustria inprimis illa & quasi diuina sunt, quæ in litteris liberalibusque disciplinis consistunt, quibus scilicet homines non tantùm ab animalibus ceteris rationis expertibus, sed à rudi etiam & imperito hominúm vulgo ita distinguuntur, vt tanquam Dij quidam splendescere in terris videantur: rem sanè præclaram seque dignam illi præstant, qui diligentem iis ipsis in litteris ac disciplinis operam ponũt; præclarissimam verò & Reipub. vtilissimam, qui eas ita excolunt, vt aliorum menti docendo, scribendo lumina præferant, eosque ex ignorantiæ tenebris quasi manu educant. Quos excitare, quos amare atque animare, ad dignitatis nostræ munus, ad quod Diuino vocati beneficio concessuque sumus, inprimis pertinere existimamus. Cùm itaque ab iis, quorum nobis spectata fides, quique iudicare de Litteris possint, accepimus, insignes te animi ingeniique tui dotes tibi à natura insitas à primis temporibus ætatis tuæ ita litterarum ac disciplinarum studiis excoluisse atque exornasse, vt olim iuuenilibus adhuc annis præclara florescentis minimeque vulgaris eruditionis specimina præbueris, dum obscura in antiquis scriptoribus loca, quæ quædam tanquam lustra erant, illustrasti, quæque in iis iniuria temporum deprauata & corrupta fuerunt, restituisti, dum vetusta Latinæ antiquitatis rudera in nouam subinde structuram singulari artificio eleganter conuertisti: ad exquisitam adeò & raram doctrinam, quæ magnam de te apud doctos quosque viros opinionem excitarit, peruenisse, eamque variis abs te libris acri & graui cum iudicio scriptis atque in lucem editis ostendisse, vt in eo quod tam feliciter tractes scriptionis genere paucos tibi pares hodie reperire sit: iam verò matura te ætate virum, viro magis magisque digna, & viris doctis grata ac Reipub. vtilia scribere, quæque à primis illis Romanis olim auctoribus scripta fuerunt, à mendis purgare, & lectissimos quosque ex Musarum hortis, in quibus assiduè verseris, flores colligere, concinnare, quibus Lectores mirificè recrees, & eorum pectus ad prudentiam, probitatemque informes: haudquaquam prætermittere voluimus, quin Reipub. ad quam hæc abs te ornamenta conferuntur, causa, Cæsareo te nostro elogio decorandum, & quamuis per te satis ipse animatus sis, animandum magis patrocinioque nostro defendendum pro benigna nostra in te susciperemus voluntate. Quoniam verò lucubrationibus atque operibus tuis in lucem edendis, peculiarem te eligere velle Typographum, accepimus, Diplomate hoc nostro priuilegioque te & Typographum tuum aduersus quorumcumque fraudẽ, qui lucri causa, quod fieri solet, eadem excudere aut typis imitari fortè velint, munitos cupimus. Quamobrem pro auctoritate nostra Cæsarea decernimus,

mus, ſtatuimus, vetamuſque, ne quis Typographorum, Bibliopolarum, aut aliorum, qui librariam negotiationem exercent, eos libros, quos tu editurus es, quocumque modo, charactere, aut forma, ſiue integros, ſiue aliquam eorum partem typis imitari, edere, excudere, aut venundare intra ſacri Romani Imperij, Regnorumq; ac Dominiorum noſtrorum hereditariorum fines, triginta annis proximis à primo editionis die computandis, abſque tuo tuorúmve heredum conſenſu audeat: Hac autem lege addita, vti tria vt minimùm cuiuſque libri exemplaria, quemadmodum moris eſt, ad Imperialem noſtram Cancellariam mittantur. Si quis verò edictum hoc noſtrum tranſgredi, violare, aut contemnere deprehenſus fuerit, eum non ſolùm eiuſmodi libris, tibi, heredibúſve tuis, auxilio Magiſtratus, vbicumq; reperti fuerint, vendicandis, priuari, ſed triginta etiam Marcharum auri puri mulcta, cuius ſemiſſis quidem Fiſci noſtri Procuratori, fraudis vindici; alter verò ſemiſſis, tibi heredibúſve tuis pendatur, puniri volumus. Mandantes vniuerſis & ſingulis noſtris & ſacri Romani Imperij ſubditis & fidelibus dilectis, tam Eccleſiaſticis quàm Politicis, cuiuſcumque ſtatus, gradus aut ordinis extiterint, præſertim verò iis, qui in Magiſtratu conſtituti, vel ſuo vel ſuperiorum ſuorum loco aut nomine, ius dicunt, iuſtitiámve exercent, ne quemquam hoc Priuilegium noſtrum impunè violare, ſpernere aut negligere patiantur: Sed, ſi quos contumaces compererint, conſtituta à nobis mulcta, eos puniri & quibuſcumque modis coërceri curent, ni & ipſimet grauiſſimam noſtram in ſe conuertere indignationem velint. Id quod hoc Diplomate, manu noſtra ſubſcripto, & Cæſarei noſtri ſigilli impreſſione munito, confirmamus. Datum in arce noſtra Regia Pragæ, die prima menſis Auguſti: Anno Domini Milleſimo, Quingenteſimo, Nonageſimo ſecundo. Regnorum noſtrorum Romani decimo ſeptimo, Hungarici vigeſimo, & Bohemici itidem decimo ſeptimo.

Subſign.

RVDOLPHVS.

Iacobus Curtius à Senfftenaw.

Ad mandatum ſacræ Cæſareæ M^tis proprium.

Io. Baruitius.

Additum ſigillum Cæſ. M^tis in cerâ rubrâ.

SVMMA PRIVILEGII REGIS CATHOLICI.

PHILIPPVS *Dei gratia Hispaniarum, &c. Rex Catholicus, diplomate suo sanxit, nequis, Iusti LipsI Historiarum in alma Vniuersitate Louaniensi Professoris, & item Historiographi sui libros quoscumque, à Censoribus legitimis approbatos, præter ipsius, heredúmve eius, voluntatem, intra triginta annos à prima singulorum librorum editione computandos imprimat, aut alibi terrarum impressos, in has inferioris Germaniæ ditiones importet, venalésve habeat. Qui secùs faxit, præter librorum confiscationem triginta marcharum auri puri illatione mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ*, XIV. *Febr.* M. D. XCVII.

Signat. Verreycken.

SVMMA PRIVILEGII REGIS CHRISTIANISSIMI.

HENRICVS *Dei gratia Galliarum & Nauarræ Rex Christianißimus, singulari priuilegio sanxit, nequis per vniuersos Regnorum suorum fines, Iusti LipsI, quos vel hactenus edidit, vel in posterum editurus est libros, excudere intra decennium præter voluntatem ipsius poßit. Qui secùs faxit, præter librorum confiscationem, ter mille florenorum illatione mulctabitur; vti latiùs patet in litteris, datis Parisiis*, XIII. *Iulij*, M. DC. V.

Signat. Perrochel.

TIbi IOANNES MORETE, pro amicitiâ quæ mihi cum Plantino (heu, quondam meo) & Plantinianis est ac fuit, tibi, inquam, permitto, vti hoc meum DE BIBLIOTHECIS SYNTAGMA typis tuis excudas ac diuulges. Nequis alibi alius præter te, cupio siue iubeo, ex lege quam magnus Cæsar & Reges dixerunt.

Iustus Lipsius.

SVMMA PRIVILEGII PRINCIPVM BELGARVM.

ALBERTVS & ISABELLA CLARA EVGENIA *Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenißimi Belgarum Principes, diplomate suo sanxerunt, nequis* IVSTI LIPSI *Historiarum in almâ Vniuersitate Louaniensi olim Professoris, itemq; Historiographi & Consiliarij sui libros quoscumque, præter Balthasaris Moreti voluntatem, vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impressos, in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalésve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ*, XVII. *Ianuarij*, M. DC. XI.

Signat. S. de Grimaldi.

Et in Concilio Brabantiæ,

I. de Buschere.


LABORE ET CONS
TIA